

Stage 47 Texts:

I. Aeneas Sees Carthage

mīrātur mōlem Aenēās, māgālia quondam,

mīrātur portās strepitumque et strāta viārum.

īnstant ardentēs Tyriī: pars dūcere mūrōs

mōlīrīque arcem et minibus subvolvere saxa,

pars optāre locum tectō et conclūdere sulcō;

iūra magistrātūsque legunt sanctumque senātum.

hīc portūs aliī effodiunt; hīc alta theātrīs

fundāmenta locant aliī, immānīsque columnās

rūpibus excīdunt, scaenīs decora alta futūrīs.

“ō fortunatī, quōrum iam moenia surgunt!”

Aenēās ait et fastīgia suspicit urbis.

II. Dido's Passion

- (1) uritur infelix Dido totaque vagatur
- (2) urbe furens, qualis coniecta cerva sagitta,
- (3) quam procul incautam nemora inter Cresia fixit
- (4) pastor agens telis liquitque volatile ferrum
- (5) nescius: illa fuga silvas saltusque peragrat
- (6) Dictaeos; haeret lateri letalis harundo.

III. The Storm

- (1) interea magno misceri murmure caelum
- (2) incipit, insequitur commixta grandine nimbus,
- (3) et Tyrii comites passim et Troiana iuventus
- (4) Dardaniusque nepos Veneris diversa per agros
- (5) tecta metu petiere; ruunt de montibus amnes.
- (6) speluncam Dido dux et Troianus eandem
- (7) deveniunt. prima et Tellus et pronuba Iuno
- (8) dant signum; fulsere ignes et conscius aether
- (9) conubiis, summoque ulularunt vertice Nymphae.
- (10) illa dies primus leti primusque malorum
- (11) causa fuit; neque enim specie famave movetur
- (12) nec iam furtivum Dido meditatur amorem:
- (13) coniugium vocat, hoc praetexit nomine culpam.

IV. Mercury Addresses Aeneas

- (1) “tu nunc Karthaginis altae
- (2) fundamenta locas pulchramque uxorius urbem
- (3) exstruis? heu, regni rerumque oblite tuarum!
- (4) ipse deum tibi me claro demittit Olympo
- (5) regnator, caelum ac terras qui numine torquet.
- (6) ipse haec ferre iubet celeris mandata per auras:
- (7) quid struis? aut qua spe Libycis teris otia terris?
- (8) si te nulla movet tantarum gloria rerum,
- (9) Ascanium surgentem et spes heredis Iuli
- (10) respice, cui regnum Italiae Romanaque tellus debetur.”

V. Dido's Reproach and Aeneas' Defense

- (1) "me patris Anchisae, quotiens umentibus umbris
- (2) nox operit terras, quotiens astra ignea surgunt,
- (3) admonet in somnis et turbida terret imago;
- (4) me puer Ascanius capitisque iniuria cari,
- (5) quem regno Hesperiae fraudo et fatalibus arvis.
- (6) nunc etiam interpres divum Iove missus ab ipso
- (7) (testor utrumque caput) celeris mandata per auras
- (8) detulit: ipse deum manifesto in lumine vidi
- (9) intrantem muros vocemque his auribus hausi.
- (10) desine meque tuis incendere teque querelis;
- (11) Italiam non sponte sequor."

VI. Dido's Curse

- (1) "haec precor, hanc vocem extremam cum sanguine fundo.
- (2) tum vos, o Tyrii, stirpem et genus omne futurum
- (3) exercete odiis, cinerique haec mittite nostro
- (4) munera. nullus amor populis nec foedera sunt.
- (5) exoriare aliquis nostris ex ossibus ultor
- (6) qui face Dardanios ferroque sequare colonos,
- (7) nunc, olim, quocumque dabunt se tempore vires,
- (8) litora litoribus contraria, fluctibus undas
- (9) imprecor, arma armis: pugnent ipsique nepotesque."

VII. The Death of Dido

- (1) “dulces exuviae, dum fata deusque sinebat,
- (2) accipite hanc animam meque his exsolvite curis.
- (3) vixi et quem dederat cursum fortuna peregi,
- (4) et nunc magna mei sub terras ibit imago.
- (5) urbem praeclaram statui, mea moenia vidi,
- (6) ulta virum poenas inimico a fratre recepi,
- (7) felix, heu nimium felix, si litora tantum
- (8) numquam Dardaniae tetigissent nostra carinae.”
- (9) dixit, et os impressa toro “moriemur inultae,
- (10) sed moriamur” ait. “sic, sic iuvat ire sub umbras.
- (11) hauriat hunc oculis ignem crudelis ab alto
- (12) Dardanus, et nostrae secum ferat omina mortis.”